nchetti . Fortunati Mariae Pinchetti ad Suum Clerum
t Populum Epistola Pastoralis . 1806

Cover

FORTUNATI MARIAE PINCHETTI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPI AMERIÆ

AD SUUM CLERUM, ET POPULUM

EPISTOLA PASTORALIS



ROMÆ MDCCCVI.

EX TYPOGRAFIA SALOMONIANA

SUPERIORUM FACULTATE.

FORTUNATUS MARIA PINCHETTI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS AMERINUS

Venerabilibus fratribus, dilectisque in Christo filiis, Capitulo, Clero, Populoque universo suae Dioecesis salutem in Domino plurimam.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, Venerabiles Fratres, filiique dilectissimi, *et Charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (1) *Amen*.

Statim ac a Sanctissimo Domino Nostro PIO VII. Pontifice O. M. nullis nostris meritis, sed miseratione Divina, et dignatione sola sancta sua, ne quidem nos suspicantes ad hanc Ameriae regendam Ecclesiam destinatos esse novimus, imbecillitatem nostram ad Principem, et Pastorem animarum omnium in genua provoluti profiteri non erubuimus, nec exclamare destitimus, ut si possibile fieret calicem hunc transferret a nobis, atque ita eum fuimus affati: Tu Domine, *qui solus Scrutator es renium, et cordium* (2) et apud quem nulla latet cogitatio optime nosti, quantum abfuit a me cogitatio tanti culminis, cum onus Episcopatus, onus sit nedum humeris meis, sed etiam Angelicis prorsus formidandum (3) praesertim hisce infaustis temporibus, in quibus multi Christi fideles *sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi Magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur* (4) Munus porro pascendi, regendique semper me terruit, cum in Pastore non solum sapientiam exigat, et doctrinam, sed et prudentiam, justitiam, sobrieta-

(1) 2. *Corint.* 13. 13.
(2) *Psalm.* 7. 10.
(3) *Concil. Trid.*
(4) 2. *Timot.* 4. 3.

tem, fortitudinem, humilitatem, mansuetudinem; ac potissimum charitatem, quam tantopere tu Domine mi, Divo commendasti Petro, quando ei omnes concredidisti oves, et Agnos. Uno Verbo *oportet Episcopum irreprehensibilem esse* (5). Me his omnibus expoliatum agnosco virtutibus. Attamen, Venerablles fratres, filiique dilectissimi, cum per Vicarium Christi Sanctissimum noverimus Dei voluntatem esse, ut humeros, licet impares, nostros tanto oneri subderemus, prono, submissoque capite, non ad oculum amplius servientes, voluntatem Dei ex animo adimplere statuimus, omnemq. sollecitudinem nostram ad vos convertimus, quos cum alloqui os ad os statim non possimus, alloquimur per epistolam.

Nemo sane vestrum ignorat, nos positos esse ad regendam Ecclesiam hanc Sanctam Dei, *quasi reddituri rationem de animabus vestris* (6), si dispersos non colligamus, perditos non quaeramus, collisos non erigamus, et confractos non solidamus. Ne ergo ante Tribunal Domini Nostri Jesu Christi reprehendat nos conscientia, non nostra omni conatu quaerentes erimus, sed quae ipsiusmet Christi Jesu sunt; boniq. Pastoris officium, *qui animam suam dare tenetur pro fratribus suis, ac multo magis divitias, quietem, delicias, et comoda omnia* (7) quantum possumus pro viribus adimplere statuimus, docentes quae oportet non turpis lucri gratia, sed et contradicentes, in omni patientia arguentes, ac doctrina, parati potius millies mori, quam in munere nostro obeundo foedari; sperantes in Deo, *qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni Dominum nostrum Jesum Christum* (8) quique de tenebris splendescere facit lumen suum, infirmaque Mundi eligit, ut fortia quoque confundat, quod praestabit nobis ipse auxilium de solio aeterno Majestatis suae, facietque nobis jugum suum suave, et leve.

Vos interim hujusce Cathedralis Ecclesiae Dignitates, et Canonici nostrum certe alleviabitis pariter onus, solatiumq. maerori nostro quoque praestabitis, si uti honoris culmine antecellitis caeteris, sic et virtutibus praeire omnibus satagatis;

---

(5) *Timot.* 3, 2.
(6) *Heb.* 13. 17.
(7) *S. Greg. de Cur. Past. par.* 3.
(8) *Heb.* 13. 20.

vosquemetipsos *exemplum bonorum operum praebeatis in omnibus* (9) et sic non levia nobis adjumenta praestare poteritis. Ad vos hinc primo, *qui estis* veluti *sal terrae, et lux mundi* (10), quique veluti pariter Stellae fulgetis in perpetuas aeternitates sermonem convertimus nostrum, atque obtestamur, deprecamurque vos ut doctrinae vestrae non minus, quam eruditionis, ac pietatis radios undequaque diffundere non desinatis, ad abigendam omnem caliginem a praesenti saeculo nequam, atque *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo* (11) *atque offerentes hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus* (12).

Solamini vos quoque nos pariter, Rectores Animarum, quibus Dominicum gregem novimus esse commissum, pollicemurque, si omni conatu oves vobis commissas vestra doctrina non minus ac exemplo, et zelo, secundum prudentiam non carnis, quae inimica est Deo, sed prout virtus Cardinalis est ipsa, regatis, atque pascatis, satagentes, ut *mulieres subditae sint viris suis, sicut oportet in Domino, et ut viri pariter diligant uxores suas, et non sint amari ad illas, filii parentibus obediant per omnia, Patres ne ad indignationem suos provocent filios, etut servi Dominis obediant suis* (13) Securi, quod sic agentes nedum nobis, sed et Deo rem pergratam sitis facturi, dum *sermo vester semper in gratia sale erit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere* (14).

Os nostrum patescere volumus etiam ad vos omnes, quotquot in sortem Domini vocati estis, ut dignè ambulantes vocatione sancta vestra, abundetis semper in omne opus bonum, atque ab omnibs curis, negotiisque saecularibus, ac Mundi illecebris vestrum avertentes animum, atque Christi legatione fungentes Dei gloriae semper, et proximorum saluti unice, incumbentes sitis.

Vos quoque non sine magna cordis nostri laetitia alloquimur, atque solatio, ex Religiosorum Ordinibus praeclarissimi vi-

---

(9) *Ad Tit.* 2. 7.
(10) *Matth.* 5. 13.
(11) *Coloss.* 3. 16.
(12) *Ad Hebr.* 13. 15.
(13) *Ad Coloss.* 3. 18.
(14) *Ad Colost.* 4. 6.

ri, quorum doctrinae, pietati, ac zelo confidimus; certe innumera propemodum bona in Ecclesiam, societatemque civilem ex Sanctissimis praeclarissimisque vestris Institutis emanare experimur in dies; si unusquisque vestrum noscat militiam, cui nomen dedit, pactum, quod spopondit, et ita agat, ut, *is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis* (15).

Nec silentio praeterire vos debemus, Sacrae Virgines Deo devotae, quae illustriorem portionem efformatis Dominici gregis, ut cogitantes, quae tantum Domini sunt semper *exhibentis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (16), extetisque corpore Sanctae simul, et spiritu, plurimum hinc fidentes sumus orationibus, et obsecrationibus vestris apud Deum pro nobis ad regendum hunc populum Sanctum Dei.

Demum vos omnes alloquimur, Nobiles Viri, matronaeque spectatissimae, maximum adjumentum sperantes ex pietate vestra non minus, ac liberalitate erga miseros, atque pauperrimos, ut sic non insumentes bona vestra in sumptus prophanos, ac futiles thesaurizare possitis thesauros vestros in Coelis, ne in die obitus vestri uti stulti viri divitiarum, nihil inveniatis in manibus vestris, sed tamquam fideles administri instare possitis in gaudium sempiternum Domini vestri; *Servis hinc praestate vestris, quod aequum est, et justum, scientes, quod et vos Dominum habetis in Coelo* (17).

Cujuscumque coetus homines existitis vos nostrae Diaecesis non leve pariter solatium a vestra diligentia in obeundis officiis, muneribusque vestris, et praesertim ex subordinatione, atque obedientia, quam erga Pastorem vestrum exhibuistis usque adhuc, quamque et nobis exhibituram confidimus. *Induite ergo vos sicut electi Dei Sancti, et dilecti viscera mesericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobis metipsis si quis adversus aliquem habet quaerelam, sicut, et Dominus donavit vobis, ita et vos: super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris* (18). Nihil aliud reliquum nobis est, Venerabiles fratres, dilectissimique filii, nisi *ut sufferatis verbum*

(15) *ad Tit.* 2. 8.
(16) *Ad Rom.* 12. 1.
(17) *Ad Coloss.* 4. 1.
(18) *Ad Coloss.* 3. 12. *et seq.*

solatii, etenim perpaucis scripsi vobis (19), atque Pastorem vestrum apud Deum commendetis una cum Pontifice Nostro Summo, Optimo, Pio, ut Deus sospitem illum nobis diù servet, salvum, et incolumem ad regendam Universam Ecclesiam Sanctam suam: *Confidimus nos enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus, bene volentes conversari: Amplius autem deprecamur vos hoc facere, quo celerius restituamur vobis* (20), et ut ea benevolentia, quam nobis exhibuistis absentibus; amplecti velitis, cum fuerimus apud vos diversati, ac interim *in omni oratione vestra pro nobis obsecrationes vestrae apud Deum innotescant* (21)

Nos Christi legatione fungentes hortamur vos, atque per viscera Misericordiae Dei Nostri pariter obsecramus avitam servare fidem, quam Sancta, et Immaculata Ecclesia Catholica semper intemeratam docuit, custodivit, atque retinuit, ne sitis veluti fluctuantes parvuli in fide haesitantes; tempora porro instant periculosiora, sunt enim *qui circuunt quaerentes, quos devorent* (22) ita ut si possibile sit, etiam justos, pios, et in fide stabiles inducere in errorem illi moliuntur, quos cum Apostolo flentes, *inimicos dicimus Crucis Christi* (23) Vos igitur, *qui Jesum Christum Dominum accepistis, in ipso ambulate; Nos enim corpore absentes, sed spiritu vobiscum sumus gaudentes, et videntes ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quae in Christo est fidei vestrae* (24). *Vigilate itaque, state in fide, viriliter agite, et confortamini, omnia vestra in charitate fiant* (25), a veritate auditum vestrum nunquam avertentes, monita suscipite Pastoris vestri, ac Supremi Pontificis Nostri Pii, et *quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque Sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, et Deus pacis erit vobiscum* (26) Orate sine intermissione pro nobis pariter, *ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum vobis mysterium Christi, ut manifestem illud*

---

(19) *Ad Heb.* 13. 22.

(20) *Ad Heb.* 13. 18. 19.

(21) *Ad Phil.* 4. 6.

(22) 1. 5. *Petri* 5. 8.

(23) *Ad Philip.* 3. 18.

(24) *Ad Coloss.* 2. 4. 5.

(25) 1. *Corinth.* 16. 13.

(26) *Ad Philip.* 4. 8.

ita, ut oportet nos loqui (27) Nos interim genuaflectentes apud Patrem Supremi Luminis sic preces pro vobis effundimus. *Pater serva eos, quos dedisti mihi, quia tui sunt, ut ex eis non pereat quisquam* (28) *sed habeant vitam aeternam*, et quia os ad os, uti diximus, adhuc vos alloqui non possumus, et impertiri aliquid illius gratiae quae, data fuit nobis in ordinatione nostra, illam e Coelo nunc adprecamur, intercedente Beatissima Semper Virgine Dei Genitrice Maria Nostra singulariter Advocata, ac B. Apostolo Petro, cujus Sacrosanctae Vaticanae Basilicae in Divinis laudibus canendis per viginti quinque, et ultra annos adscripti sumus, nec non Sanctis Firmina Virgine, et Martyre ac Olimpiade Martyre istius Ecclesiae Patronis, et S. Himerio similiter istius Diaecesis Episcopo, Civitatisque Ameriae Sanctis Tutelaribus, et tanquam praecipui nostri amoris pignus, Pastoralem vobis benedictionem nostram ex toto corde impertimur, et sic *Pax Dei, quae exsuperat omnemsensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu* (29) *Amen*.

Datum Romae extra Portam Flaminiam ipsa nostrae Consecrationis die Septima Aprilis MDCCCVI.

---

(27) *Coloss.* 4. 3. 4.
(28) *Ioan.* 17. 9.
(29) *Ad Philip.* 4. 7.